



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Tumulus eius visitantium honorantiumque concursu frequentatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

tinus erat, perugilium Virginis assumptæ) tanti, præter ceteros, honoratissimorum hominum, Episcoporum, Præsulum, Aulicorum, illustriumque Matronarum conuentus ad videndum facti sunt, vt ante vesperum terræ mandari non permiserit eorum pietas ac religio singularis; ac tum deprehensum, non solum resectas ei vestium esse partes, sed vngues etiam, & capillos, vnumque digitum pedis, præterquam quod in discessu aliquid ei auferre singuli Reliquiarum loco conantur. Denique ut Sabbato natus, ita nocte Sabbati, ligneo tymbo compositus, inscriptione plumbeæ laminæ incisâ; Ædilis ipsius manibus recenti sepulchro, in Sacello beati Aloysij, in quo ad eum diem nemo conditus erat, tumulatus fuit; exinde in alterum commune sepulchrum translatus est ad Sacellum sanctæ Crucis, in quo annos olim aliquot iacuerat B. Aloysij corpus.

Protinus accensa est multorum pietas ad inuocandam eius in rebus aduersis opem, cœpitque visitantium honorantiumq; cursu tumulus frequentari; ac manè quotidie à viris matronisque religiosis, ipso cursus tempore, floribus herbisque odoriferis aspergebatur. Fuere initio Viri illustrissimi, qui super sepulchro eius genibus nixi orabant, saxumque exosculati, aliquid sibi

O 3 Reli-

Reliquiarum eius exposcebant : alij pro exortatis beneficijs donaria ex voto adferebant, aut è Sacelli parietibus suspendebant, aut imponebant sepulchro , nec raro cereos honori illius accendebant. Neque ab exteris magis atque ab ipsis domesticis , diu noctuque obfessum est eius monumentum. Hoc ipso autem tempore quo hæc scribo, mirifice crevit cùm Romæ in eum Religio , tum apud Transalpinos ; partem præconio eorum qui hinc discesseré, partem Reliquijs eius ad varia loca missis, imaginibusque eius sæpius recusis, quæ in veneratione sunt. Iam verò latissime innocentiae sanctitatisque eius fama percrebuit per Europam, multiique conceptis ad eum perfugiunt votis.

Prætermitto hic de industriâ prædictiones , quas de morte suâ edidit; visa , in quibus post mortem non paucis vario locorum interuallo apparuit; miracula beneficiaque, quæ exequiarum eius die , ac posteà , cùm Romæ tum in alijs Italiæ aliarumque Provinciarum vrbibus à Deo præstata sunt , ostendendæ apud homines gloriae , quâ inter Superos iam potitur : etiam si forte & numero & genere maiora ea sint , quâm aliquis opinetur. At quoniam eorum multa iuratis iam testimentijs confirmata sunt Romæ, iussu Gregorij XV. aliaque præterea diversis